

IN NOMINE IESU
EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM
Vicesima prima
In Parte Speciali PRIMA

De
SUBSTANTIA,
SUPPOSITO ET
PERSONA

Quam
SUB RPÆSIDIO
VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, & Clarissimi

Dn. M. CHRISTIANI TRENTSCHII

Logicæ & Metaphysicæ Profefs. Publ.
meritissimi,

Dn. Præceptoris, Hospitis ac Promotoris sui
perpetua observantia devenerandi.

Publicæ συµφιλολογίæ committit

GEORGIUS Dunte/Revaliensis

AUTOR.

In Auditorio Majori

Ad diem 1. Octobr. Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat JOHANNES ROHNERUS, Acad. Typogr.

M. DC. LIII.

coll. diss. A
23, 16

22. 16.

a. CXXIII. 16.



Προαύλιον.

Multos à bona mente hactenus à ver-
fos esse, ut ad Philosophiæ nomen
tantum non emoriantur, hodierna
etiam tempora loquuntur. Quo-
tusquisque verò eorum est, quem
non omnis spes, non omnis vigor deserit, quan-
do cum aliquo committitur? Ibi eos vix seme-
fa & tertiata verba demurmurare, quæque nec
cælum, nec terram tangunt, crepare novimus.
Abundare eos sua sive sententia, sive dementia
jubemus. Quantum ex Philosophia ad nos
propagetur commodum, vel unica illa de Perso-
na, & Supposito materia testatur. Nos à stirpe
usque eam exquiremus, & in brevi quasi tabel-
la comprehendemus. Sit igitur æterni Numinis
auspicio

THEOR. I.

De

SUBSTANTIA.

Substantia est Ens per se subsistens.

De quæstione: An & qua ratione Substantia ad Metaphy-
sicæ partem specialem pertineat? *videbimus* infra. Theor. II.

A 2

Sub-

I. *Substantia* I. occurrit Etymologia. Grammaticè dicitur à substando, quia accidentibus tanquam fundamentum supponitur, iisque substat, atque subjacet. Nec obstat I. Substantiam hac ratione *relatum* fieri. Cum enim aliquid alicui substat, respectum utique dicit ad illud, cui substat. At quod relationem significat, non potest supraponi terminis absolutam naturam absque omni relatione significantibus, quales sunt omnes termini, qui ad substantiam pertinent. I. enim, si maximè substantia diceret respectum ad id, cui substat, nondum tamen ejus esse nihil aliud est, quam ad aliud referri, h. e. aliud respicere tanquam purum terminum, essentialiter superadditum. Nam substantiæ ratio non habet peculiare subjectum, cui adveniat, sicut Paternitas homini, sed essentialiter est per illud ipsum, quod refertur; non secus, ac materiæ essentia est, ut ad formam referatur, eamque recipiat, ita etiam substantiæ (licet non cujusvis) ut substat accidentibus. Qui respectus non facit, quò minus possit supraponi terminis absolutam naturam significantibus, cum pari ratione de Causa & effectu, de subjecto & adjuncto concludi posset, quæ tamen supraponuntur terminis absolutam naturam dicentibus. *Vid. Hornej. Instit. Log. l. 2. quest. 23. 24.* Deinde dico, quod possit alicui nomen competere, licet Etymologia, & ratio nominis ei non conveniat. Pari ratione II. non sequitur: Si Substantia à substando accidentibus deducitur, Deus non erit Substantia. Nam notatio non semper adæquata est notato, nec necessariò desumitur à ratione formali, unde à notatione infirma petuntur argumenta. Sic *Senatus* dicitur à *Senibus*, & tamen *Senatus* sepe non nisi ex juvenibus constat. Ita *mulier* à *mollitie*, secundum *Becmannum de Origin. Lat. lingua lit. M. Virtus* à *viro* juxta *Cic. 2. Tuscul. q.* deducitur, cum tamen per sæpe viri molliores foeminis, hæque illis virtuosiores inveniantur. III. non valet: Substantia est Ens per se subsistens, Ergò vox *substantie* à subsistendo desumitur, sicut non sequitur: Homo est animal rationale, E. vox *hominis* ab animali rationali deducitur.

Homo.

2. Homonymiam quod attinet. Substantia quatuor potissimum modis accipitur. 1. prout equipollet Enti. 2. pro essentia, sive definitione rei. 3. pro subjecto. Prima & secunda substantiæ significationes sunt nimis latæ, nam sic nihil est, quod non sit Substantia, quippe & Accidentia sunt Entia, & suas habent definitiones, sive ἁσῖας. Tertia est nimis angusta. Non saltem enim substantiæ, sed etiam accidentia possunt esse subjecta, licet non ut QVOD, tamen ut QVO, sive mediata: sic scientia in anima nostra non immediatè, sed mediante Intellectu, qui est Accidens, sive potentia animæ rationalis, inhæret, sicut contra substantia non semper est subjectum, sed sæpè adjunctum. Ita Doctor est adjunctum Cathedræ, aurum poculi deaurati, gypsum parietis. 4. Accipitur pro tali Ente, quod opponitur accidenti, quæ acceptio est hujus fori. Aliæ significationes abusive sunt, nimirum, quando substantia possessionem, divitias, & firmitudinem indigitat. Sicut Hebr. II, 1. Fides dicitur ἰσχυρισμός ἐπιζουδίων, i. e. sustentaculum, & quæ exstant, quæ sperantur, sive quæ facit in animo subsistere quæ sperantur, non secus ac si præsentia forent. Significat etiam salarium, sive ordinarium & statum stipendium, itemque caput, sive summam pecuniæ, quæ fœnori datur vid pl. Rev. Dn. Calov. Metaph. part. spec. cap. 2. th. 2. p. 16. 17.

3. Synonyma habet Quidditatem, Essentiam, Esse rei, Existentiam, Subsistentiam, Naturam, & ἰσχυρισμόν. Quæ quandoque promiscuè usurpantur, non rarò tamen distinguuntur. Sic v. gr. differunt natura, & essentia à Substantiâ, quod hæc quasi concretum, illæ verò abstractum dicant: Denotant enim formam, per quam Substantia suum esse recipit. Existentia quoque & Substantia differunt: Existentiæ enim nomen communius est, quàm Substantiæ, quippe quod substantiis simul & accidentibus adjungitur.

4. Definitio Substantiæ communiter traditur, quod sit Ens per se subsistens, sive tale Ens, quod proprium esse à seipso habet, nec in alio est tanquam in subjecto. A seipso habere essentiam substantiæ peculiare est, non hoc modo, quasi nulla substantia sit effectivè ab alio, sed quia ad Substantiæ constitutionem, vel

sustentationem non requiritur aliud, præter ipsam *internam*
 ejus quidditatem, & essentiam, sive (ut CL. Dn. Scharfio inter-
 prete utamur) substantia à seipso esse dicitur ratione principio-
 rum constituentium, quia aliud Ens ad constituendam substan-
 tiam non concurrit, nisi principia essentialia sive substantialia,
 cum contra Accidentium essentia non nisi substantiâ interveni-
 ente perficiatur. Posteriori phrasi negativâ insinuatur, τὸ
subsistere hîc generaliter accipi, & opponi τῷ inhærere alteri,
 non verò specialiter pro ultimâ subsistere, quod tantum sup-
 posito competit. Fit autem h. l. mentio Entis, quod generis
 vicem sustinet, nam revera genus non est, quia nullum genus di-
 citur de suis differentiis, atqui Ens dicitur de Substantia & Accid. E.
 non est genus. Majoré probo i. ex eo si genus prædicatur de diffe-
 rentiis in quid, Genus quoq; differentiis includitur, sicq; in De-
 finitionibus ἀδολεχία committitur, in quibus & genus & diffe-
 rentia seorsim ponuntur. 2. Si genus diceretur de singulis
 differentiis, convenirent illæ, sicquæ non essent diversæ, sive
 ἀπιδινηυρία, quod absurdum. Notandum, quod differen-
 tiæ non debeant convenire genere, sed saltem species, quodq;
 Genus differentiis non includatur, sed saltem speciebus includi
 dicatur. Deinde sciendum, quod vera genera, & species ha-
 beantur tantum in prædicamentis, quæ propterea describun-
 tur, quod sint ordines, sive dispositiones generum, & specie-
 rum. Quæ verò transcendunt, & pervagantur omnes spe-
 cies, non sunt genera, quæ transcendens, Ens esse, non dubita-
 mus. Differentia vice fungitur τὸ per se subsistere, sive non esse in
 subjecto. Est autem aliquid in subjecto, quod non est pars ejus, in
 quo est, & omninò esse nequit, nisi in eo. Alii plures limitationes
 addunt, dicentes, quòd illud demum sit in subjecto, quod nec est
 pars ejus, in quo est, nec cum eo, in quo est, partem essentialē aliterius
 constituit, & hac ratione cavere volunt, ne Forma, quæ tamen
 est in Materia, sed nec pars ejus est, nec extra eam esse potest,
 accidentis nomine veniat. Sic etiam requiri ajunt ad τὸ inesse sub-
 jectò existentiam actualem, atque ita speciem non posse esse in
 genere, tanquam in subjecto, cum saltem potentiâ generi insit,
 non ipso actu. τὸ per se subsistere est ratio formalis substan-
 tiæ

tia

riæ, partim quia est conceptus ejus primus, & in primo modo dicendi per se, partim quia opposita species per se subsistere nequit. Hinc non alia ratione melius in esse suo constituitur substantia, nec accidenti fortius opponitur, quàm per τὸ *subsistere*. Terminos enim contradictores esse *per se subsistere, & non subsistere per se*, primo intuitu deprehendimus. Inter Substantiam quidem, & accidens datur medium, nimirum Non Ens, sed inter hos terminos nullum dari, nec fingi potest medium. E dictis constat, quod τὸ *incommunicabiliter subsistere* non sit ratio *substantiæ quæ talis*, nec etiam *singularis*, quia ad hanc sufficit, quòd unitate numerica determinata sit. Quamvis E. requiratur ad substantiam singularem entitativa indivisio, & importetur negatio communicationis κατὰ μέθεξιν, nondum tamen infertur subsistentiæ incommunicabilitas, quia salvari potest ratio singularis substantiæ, si saltem non inferat essentiæ multiplicationem in inferioribus, præcisa incommunicabilitate subsistendi, essentia namq; integrè concipitur sine implicatione subsistentiæ. Neque verò idem sunt, *incommunicabiliter subsistere, & in plures naturas esse indivisibile*, quia secundum B. Kesler Met. Phot. part. spec. p. 67. & 89. *Indivisibilitas in plures naturas significat negationem multiplicationis per essentialiter inferiora, at subsistentia incommunicabilis notat negationem communicationis alteri personæ, quæ ultimum terminum accepit, & ulteriorem accipere nescit.* 2. *Potest aliquid indivisibile esse in plures naturas, quod tamen non subsistit incommunicabiliter*: Sic anima, cor, caput, eo ipso, quod sunt singularia, nequeunt in plura talia dividi, nec tamen *incommunicabiliter* subsistunt, quia hoc proprium *suppositorum* est, inter quæ partes tanquam *incomplete substantiæ* nomen suum profiteri non audent. Cum ergò non sint unum idemq;, non est causa, cur communicabilis essentiæ, sit statim communicabilis subsistentiæ. Nam 1. dantur plures existentia in uno supposito, ut existentia animæ & corporis, per quæ duo etiam homo constituitur. 2. dantur plures existentia unius suppositi, ratione accidentium. 3. dantur plures existentia unius suppositi ratione unitorum aliorum, sic homo constat ex 4. elementis &c. De
inde

inde distinguendum putamus inter suppositum, quod simpliciter ratione essentiae est, & manet unum, & inter suppositum, quod quidem ratione subsistentiae manet unum, ratione tamen essentiarum, ac diversarum naturarum pluralitatem admittit. In illo multiplicatio existentiae (*quae diversa sit, à toto existente, quaeq; non pars sit totius,*) locum non habet. At si unum suppositum in consortium admittat novam naturam, & essentiam, tum manente subsistentiae unitate, existentiae actuales plurificentur. *vid. Dn. Kestl. l. c. p. 93.* Sciendum quoque quod *multiplicatis suppositis, non statim in divinis multiplicentur essentiae.* Photiniani contradictionem involvi autumant, cum dicimus *essentiam singularem pluribus suppositis communicabilem esse.* Sed si diceremus, *unum numero pluribus numero esse commune,* tum contradictionem inveheremus, jam verò dicimus, quòd *una numero essentia pluribus subsistentiis, vel personis communis sit.* Ubi non eodem modo dicuntur unum, & plura, *unum enim dicitur ob numericam unitatem essentiae, plura verò non ἁπλῶς, & essentia sed ὑποστάσις, & supposito s. modo essentiae.* Singularis quidem est essentia divina, sed non probatur eam desinere singularem esse, quando in plura ejusdem nominis ita dividitur, ut tota tamen sit in singulis; id enim rationi singularis non repugnat, quae salva manet, si negetur & excludatur saltem communicatio *κατὰ μέθεξιν.* Hinc dum aliquid in plura ejusdem nominis supposita ita qd. dividitur, ut tota sit in singulis, nondum id ipsum universale constituitur, *quia entitativè non dividitur, quia non plurificatur in singulis, & quia non communicatur pluribus essentialiter inferioribus,* exinde saltem communicatio *καθ' ἐνότητα, ὑπεχώρησιν, & ὁμοσίαν* manifestè colligitur *Vid. CL. Dn. Calov. l. c. p. 37. 38. 40.* Rectè ergò dixeris *essentiam divinam esse indivisibilem, non rectè incommunicabilem pluribus suppositis s. subsistendi modis.*

THEOR. II.

Dividitur Substantia I. in prædicamentalem, & transcendentalem.

Abfur.

1. Absurdos esse non dubitamus, qui per Substantiam hic nihil aliud, quàm completam, & finitam intelligunt, & quando Ens in substantiam, atque accidens dispescitur, per divisum nihil aliud inferri somniant, quàm Ens *finitum, & completum*, adeoque æquipollens ei, quod per se dividitur in 10. prædicamenta, quod tamen *objectum Metaphysicæ adæquatum* non absolvit, sed Ens in genere, quod per *substantiam, & accidens* tanquam immediatas species exhauriendum est. Ideoque & completus & incompletus spiritus ad substantiam faciunt. Ens enim aut est substantia, aut accidens, tertium non datur, quia E. spiritus non est accidens substantiam esse certum est. Vel dicendum erit: spiritum nullo modo ad Metaphysicam spectare (*quia qua ratione aliquid sub objecto totius, vel partis scientiæ alicujus continetur, eâ etiam, & non aliâ ad ipsam scientiam pertinet*) sed illud cogitare, nedum eloqui metuunt contradicentes, nolunt enim ex spiritu *non Ens* facere. Quocirca dicimus, quod Substantia quidem h.l. præscindat à *finita, & infinita, à completa, & incompleta*, sed non ideo statim fiat conceptus universalis, & idem forte, quod Ens indigitet, quod etiam præscindit à *finito, & infinito, à completo, & incompleto*. Aliàs enim accidens etiam Substantiæ includeretur, & substantia in substantiam, & accidens dividenda foret, quod absurdum. Consideratur autem substantia à nobis tanquam *Ens particulare, personaliter supponens, & unitate numerica determinatum*, ita tamen, ut abstrahat à certo modo subsistendi. *Substantia secunda* extra intellectū non est, hinc ei non conveniunt certi subsistendi modi, contenta enim est, si saltem in substantia prima, & per eam, tum subsistere, tum existere possit, ideoque dicitur substantia *in actu signato*, cujus existentia, & subsistentia adjuvatur ab exercitiâ. *vid. Excell. Dn. Calov. l.c. thes. 1. pag. 29.* Sed ne cuiquam videamur ad particularia Entia, ad spiritum, & corpus in *Metaphysicis* descendere, Substantia in *spiritualem, & materialem* divisâ, hanc *Physicæ*, illam *Pneumaticæ* adjudicamus. Sub *Ente* enim quâ *Ente*, sive prout est adæquatum objectum *Metaphysicæ*, non continentur, nec minorem Entis abstractionem faciunt. Aliud enim est sub *Ente*, quâ *Ente* contineri, sive *mino-*

rem Entis abstractionem constituere, aliud *Ens esse*. Spiritus est quidem *Ens*, sed sub *Ente* non continetur. Nam nec *affectio*, nec *principium*, nec *modus* contrahens *Entis* est, nedum *Ens* ipsum in genere, & præcisum. Ex dictis quoque manifestum est, quid de iis pronuntiandum, qui de substantia & accidente peculiarem disciplinam conscribi oportere somniant, ex eâ ratione, quia *Metaphysica* sit scientia universalissima & communissima. Sed scire debebant ex *Arist. l. 4. tex. 2. ejusdem esse scientiæ & objectum considerare, & immediatas objecti species, quippe quæ objectum absolvunt, & saltem explicatius sistunt*. Est quidem *Metaphysica universalissima, & communissima, respectu aliarum disciplinarum, vel quoad sui extensionem & latitudinem, non quoad sui intensiõnem, & profunditatem, sive ratione partium suarum, earum quippe una magis, altera minus universalis est*. Est inquam, *universalissima, quando respicit Ens prout simpliciter supponit, minus universalis cum respicit Ens personaliter supponens. Vid. Zabarell. l. de trib. præcogn. cap. 2. & Jac. Mart. partit. l. 2. quæst. 3. sect. 4.*

THEOR. III.

Dividitur 2. Substantia in primam, & secundam..

§. I. Prima substantia *intentionaliter, & realiter* solet describi. *Intentionaliter, ut sit, quæ nec in subjecto inhesionis est, nec de subjecto (prædicationis essentiali) dicitur*. *Realiter, ut sit, quæ in se, per se, ex se, & à se sine principio, & sine existit, h. e. nec per creationem, nec per generationem, nec per sustentationem à quoquam dependet*. Has descriptiones non admittimus. Altera enim est merè *Logica*, altera *substantiam primam cum independente confundit, modum Entis contrahentem cum affectione*. Potest quidem prima substantia partim in ordine ad accidentia describi, quòd sit, *quæ maximam habet distantiam ab accidentibus*; Nam secundæ substantiæ ab iis tantum non differunt, cum etiam sint in alio, putà primis, sive singularibus, quâ

ratione naturam accidentium æmulari videntur; partim in ordine ad secundas describi potest, quod *eas fundet, & contineat*. Prior descriptio ex *oppositis*, posterior ex *causis* petita est, unde sæpe descriptiones depromi solent. Longè tamen melius se expediunt, qui ita eam describunt, *quòd sit substantia unitate numerica, & quidem transcendentali determinata*. Secunda substantia, quia est extra Intellectum, nec immediatè existit, sed saltem *in actu signato*, ideò explicationis & doctrinæ gratia huc accersi solet, ob meliorem primæ cognitionem, siquidem *contraria juxta se posita magis elucescunt*. Vocatur substantia prima alio nomine *individuum*, & τὸ ἄτομον, sive hoc aliquid. Individuum quidem, quia *aliis substantiis, tanquam inferioribus, sibiq; subjectis non est communicabilis, vel in easdem divisibilis*. Sed quatenus etiam Accidentibus competit, ut sint *individua*, itemque Entibus per accidens, latius esse *individuum* quàm *substantiam primam* manifestè deprehendimus. Rectè quidem dico: *Omnia Substantia singularis est individua*, sed non vicissim *O. individuum est substantia singularis*. Τὸ δὲ τι vocatur ab Arist. *l. cat. c. 5. §. 16.* quia hoc, quid & quod peculiariter ei convenit. *Substantia secunda principaliter quale quid significant, i. e. communem, & universalem naturam substantialem, secundariò etiam significant illa, quibus inexistit essentialiter natura communis*. Sic *animal* primariò naturam omnibus animalibus communem significat, secundariò autem individua, quibus essentialiter inest *animalitas*. Vid. præclarè hæc deducentem *Titelmannum l. 2. Instit. Dial. c. 21.* Propter eandem rationem prima substantia etiam dicitur: *Res nature*, prout nimirum supponitur nature communi. *Status* substantiæ primæ, qui aliàs etiam *Synonyma* ejus dicuntur, postmodum videbimus. Errat verò *Maccovius*, quando ita eam describit: quod sit *Substantia completa, singularis, indivisa ac per se subsistens*. 1. enim angustior est hæc descriptio suo descripto, nam partes quoque, & aliæ substantiæ incompletæ primæ substantiæ sunt, ex eo, quia singulares sunt, quæ tamen hac descriptione hinc eliminantur. 2. Si substantia prima, quæ talis, completa esset, etiam *incommunicabilis* foret, atque sic planè idem esset, quod *suppositum*. Atqui consequens est absurdum,

ipso etiam Maccovio fatente, cum ait: *prima substantia, quæ talis, non includit necessariò incommunicabilitatem, sed illam demum suppositum addit.* E. & antecedens erit absurdum, consequentia probatur ex ipso Maccovio, qui non aliter suppositum definit quam *quod sit substantia prima singularis, completa vid. Excellent. Dn. Calov. l.c. porism. 1. pag. 35.* Manifestius, & protervius Photiniani desipiunt, qui putant *Substantiam primam* statim importare incommunicabilitatem; secundùm Smalcium enim; *Individuum dicitur incommunicabile.* Sed distinguendum iterum putamus inter *communicabilitatem entitativam, sive indivisibilitatem, & communicabilitatem suppositalem.* Illo modo individuum est incommunicabile, non hoc. Sanè substantia prima in suo formali conceptu incommunicabilitatem, seu ultimam subsistentiam non includit, cum non sit ejus formale, quippe quæ de se tantùm dicit indivisibilitatem in plures naturas. Inde nulla est contradictio, *quod una substantia prima in alia subsistat*, cum subsistentiam, aut subsistentiam propriam habere non faciat ad ipsa constitutiva principia substantiæ, ideoque salvâ naturâ substantiæ, separari potest à subsistentia, imò natura, s. substantia prima omnia habet, quæ ad integritatem sui pertinent, non concepta simul subsistentiâ. *Vid. CL. Dn. Calov. l.c. pag. 39.* Quæri ad substantiam primam solet, *quodnam sit intrinsecum individuationis principium tum compositæ ex materia & forma, tum simplicis cujusq; substantiæ creatæ?* Resp. Propria cujusq; *essentia.* Cumq; compositi essentia non sola materia, nec sola forma absolvatur, sed utrâque constet; propria etiam compositi natura, id est, *hec materia, & hec forma* cujusque principium erit, nam sicut *materia, & forma* in communi consideratæ sunt principia substantiæ compositæ in communi, *ut ex Physicis constat*, ita eadem etiam principia erunt *singularis substantiæ compositæ.* *Vid. CL. Dn. Ebelium, Preceptorum nostrum desideratissimum Compend. Met. Disp. III. th. 4.* Generatim autem loquendo, in omnibus substantiis creatis propria ipsarum essentia, qualiscunque ea demum sit, est *principium individuationis earum.* Per quod enim aliquid habet *entitatem*, per illud etiam habet *unitatem, & singularitatem.* Atqui per es-

sen-

sentiam suam quævis res habet entitatem E. etiam unitatem, E. etiam singularitatem, & individuationem. Hinc quicquid concurrit ad dandum esse composito, est principium individuationis in eo; cumque substantia simplex non habeat esse per aliud, etiam non habebit unitatem per aliud, E. erit individua à seipsa, non tamen removendo efficiens, sed id, quod eam intrinsecè actuet individualiter. Excluditur enim à principio individuationis quodcumq; peregrinum & adventitium. Vid. Dn. Scheibl. l. 1. Metaph. c. 6. Art. 2. 3. 4. 5.

THEOR. IV.

Prima substantia vel est completa in essendo, vel incompleta.

1. Completa, quæ habet essentiam in se terminatam, & per se non ordinatur ad alterius perfectionem intrinsecam. Incompleta in essendo est, quæ ordinatur ad alterius perfectionem intrinsecam, & est pars alicujus compositi. Sed de hac distinctione alibi actum est, ubi nim. *Ens in completum, & incompletum* dividitur. Qui itaq; novit, quid sit tale *Ens*, ille nullo negotio intelliget naturam *substantiæ completæ, & incompletæ*. Substantia *secunda* nec completa, nec incompleta dici potest, quia & *subsistentiam, & existentiam* mediatam habet.

THEOR. V.

Prima Substantia completa in essendo, est vel completa simul in ratione subsistendi, vel incompleta in subsistendo.

1. Hæc in aliena subsistentia acquiescit, cum propriâ destituatur. Non omnis enim substantia propria gaudet subsistentia. 1. quia hæc non includitur in formali substantiæ conceptu, sed tò per se subsistere i. e. non sustentari ab alio, aut inherere alteri tanquam accidens. 2. Propriam subsistentiam habere est modus tantum substantiæ primæ, qui in creaturis

B ;

rea.

realiter à natura differt. Quæ verò differunt realiter, illorum unum esse potest sine altero; ubi unū est sine altero, ibi separatio unius ab altero locum habet. *Idem à seipso separari est contradictorium.* Hinc contra Socinianos inrepidè concludimus, quod possit esse individuatus homo, etiamsi individua natura humana personam actu non constituat. Probatur assertum exinde, si enim per naturam possibile est, ut singularis aliqua substantia, quæ aptæ erat incommunicabiliter subsistere, per aliud amissa propriâ hypostasi subsistat, multò magis Deus per omnipotentiam suam facere poterit, ut sit individuatus homo, etiamsi ejus individua natura personam actu non constituat. At prius est, ut patet in igne subsistentiæ ferri, in Sole subsistentiæ aquæ innitentibus E. & posterius. Connexio majoris probatur, quia & hîc & ibi substantia essentiam, & formale suum obtinet. 2. Qui per omnipotentiam suam accidens potest conservare sine actuali inhærentia, ille multo magis conservare potest substantiam sine subsistentia. A. Deus potest conservare accidens sine actuali inhærentia, E. & substantiam sine subsistentia. Consequentia majoris patet, quia accidentis definitio & formale est inhærere, substantiæ verò definitio non est subsistere, sed extra ejus rationem formalem hoc ponitur. Major probatur ex Fonsec. *l.V. Met. c. 2. qu. 9.* quam cordatiores etiam Philosophi facilè admittunt.

THEOR. VI.

Substantia completa in ratione subsistendi, vel est Persona, vel Suppositum.

§. 1. *Suppositum* dicitur à *supponendo*, quod *supponatur* Substantiæ operationibus, & ad eas tanquam conditio necessaria prærequiratur. Quo sensu etiam *præsuppositum* dicitur. Vide *Jacob. Mart. Partit. Metaph. quæst. VI. S. 5. l. 2* Armandus de Bell. *vis. l. 2. Explic. Term. suppositum* ait dici, quasi sub alio positum, quia substernitur nature communi, eiq; esse suppeditit. Melius exinde putamus *suppositum* dici, quod *supponatur completa substantiæ,*

stantia, eamq̄, ultimò terminet, hic enim est effectus suppositi, ut deinde videbimus Porismat. 2. Suppositum h. l. non accipimus pro postulatis Artificum; multò minus pro Supposito Logico, & notionali, sive individuo ex hypothesi, sed intelligimus per illud substantiam completam non tantum ratione existentia, sed etiam subsistentia. Synonymon ejus est τὸ ὑφιστάμενον Suppositum sumitur vel abstractè, vel concretè. Abstractè definitur, quod sit substantia singularis, & completa ultima actualitas, vel ut habet Dn. Calovius l. c. p. 54. Est substantia singularis completa, per se, & incommunicabiliter subsistendi modus. In hac descriptione fit mentio i. substantiæ, ut excludantur accidentia, quæ cum per suam essentiam inhæreant, subsistere, & suppositari nequeunt. Substantia h. l. genus esse nequit i. quia in transcendentibus genera & species exulant. 2. quia nullum genus differt à specie realiter. At suppositum à substantia singulari in rebus creatis realiter distinguitur, imò substantia separari, & ab abstrahi ab eo potest, quod generi repugnare novimus, hoc enim sine specie conservari nequit. 3. Si suppositum genus haberet, esset distincta & determinata species, quod non potest de illo affirmari, cum transcendat substantiarum species. 4. hac ratione species distinctæ, habentes eandem speciem, i. e. suppositalitatem, essent eadem specie, sicque corpus, & spiritus &c. non essent distinctæ species, conveniunt enim in hoc, quod sint supposita. Vid. Dn. Scharf. Theor. Transcend. p. 1086. 1087. & 2000. Dicimus potius, quod substantia sit instar subjecti, & materialis suppositi, quodque eâ ratione definitionem suppositi ingrediat, uti subjectum descriptionem affectionis nimirum in secundo modo dicendi per se. Hinc 5. Si Substantia esset genus suppositi, natura esset modi sui genus, & modus nature sue species, quod absurdum. Dicit Crellius: Substantiam exinde esse genus suppositi, & personæ, quia de illis prædicetur. Resp. Non omnes prædicationes sunt genericæ, aut Synonymicæ, cum etiam aliæ dentur. Alii ita se expedire volunt; quòd quia substantia suppositi rationem ingreditur, & necessariò ad suppositum requiritur, etiam genus esse debeat. Resp. per instant. Etiam Ens rationem affectionum ingreditur, & ad eas necessariò requiritur, nec tamen est pro-

pro-

propriè genus earum. Quin potius quia natura rationem suppositi ingreditur, & necessariò ad suppositum requiritur, eliciri inde potest, quod suppositum sit modus substantiæ, nam modus non potest esse sine subjecto, *de quo postmodum agemus.* Nec valet: quicquid est substantia, illud etiam est ex genere substantiarum, sive ejus genus est substantia, nam non est sermo nisi de iis substantiis, quæ directè, & per se in linea prædicamentali substantiæ continentur, quod de supposito verum non est. Ideò autem Photiniani substantiam volunt esse genus suppositi, ut hac ratione evincant, verum esse, *quòd multiplicatis suppositis multiplicentur etiam essentia, sicut multiplicatis speciebus etiam genus multiplicari necessum est.* De quo supra vidimus. *Conf. C.L. Dn. Calov. l. c. c. 5. par. V. p. 109.*

§. 2. Secundum in definitione erat singularis substantia, ad excludendam universalem, sive secundam, cui suppositi ratio non competit, cum ne quidem existat, nisi mediante prima. Tertiò fit mentio completæ substantiæ, ut excludantur partes, quæ non sunt ἀνυπόστατοι, sed saltem ἐνυπόστατοι. Formale suppositi est incommunicabilitas subsistendi. Non uno modo autem accipitur *communicatio.* Datur α *communicatio formæ respectu omnium partium materiæ, quas informat, itq; permeat.* Datur β *communicatio materiæ, quæ diversis formis substerni potest.* Datur γ *communicatio ratione usus, & exercitii in causis instrumentalibus: idem enim instrumentum adhibetur à pluribus principalibus agentibus, & distinctis affectis ad moveri potest.* Datur δ *communicatio efficientis ratione plurium effectorum.* Datur ε *communicatio subjecti ratione plurium accidentium.* ζ *communicatio accidentium respectu plurium subjectorum.* η *communicatio essentia ratione modorum, sive potentiarum.* Omnibus hisce modis *Individuum* potest esse *commune pluribus.* Imò unum singulare etiam *pluribus universalibus commune est,* sic Petrus communis est homini, animali, corpori animato, corpori, substantiæ, Enti, quod tamen non nisi in universalibus subordinatis procedit *vid. B. Kesler. l. c. sect. 1. princ. V.* Jam quoque videbimus, quæ communicatio supposito repugnet, quæ non. Posterioris generis est *communicatio extrinseca intentionalis,* quomodo

modo omne bonum dicitur se communicare, alliciendo ad sui
 consecutionem. 2. *Communicatio realis, & effectiva*. 3. *Com-*
municatio subjectiva, ratione accidentium. 4. *Communicatio*
per unionem, quæ aliàs communicatio κατὰ συνδύασιν vocatur.
 Hæc supposito non repugnat. Suppositum enim, quæ tale, pot-
 est aliud terminare, modò ipsum aliunde non terminetur, inde
 salva manet suppositi formalis ratio, quæ in eo consistit, ut ul-
 teriorem subsistendi actum consequi nequeat. Quando verò sup-
 positum alteri naturæ subsistentiam suam communicat, non per
 alienationem se eadem exiit, sed alteram naturam in subsistentiæ
 suæ communionem recipit. Hac ratione Verbum communica-
 tur naturæ humanæ. Prioris generis est. 1. *communicatio κατὰ*
μεθεξιν sive plurificatio in essentialiter inferioribus, sibiq; sub-
 jectis, dicitur aliàs *communicatio ut Quod*. Hac ratione solùm
 universale communicari potest. Sed illa non demum h. l. ne-
 ganda venit, quia jam remota est per vocem *singularitatis*: Sup-
 positum ergò hoc modo *incommunicabile* est, in quantum *sin-*
gulare est. 2. Supposito repugnat *communicatio essentialis, &*
quidditativa, hoc sensu, ut suppositum alteri naturæ essentiali-
 ter communicetur, eamque in essentiam suam subigat. Hæc
 prorsus, contrariatur communicationi κατὰ συνδύασιν, vel
 communicationi denominativæ, quæ communicationi per συν-
 δύασιν perpetuò adheret. 3. ipsi repugnat *communicatio al-*
teri supposito. Contradictio enim est, ut illud, quod indepen-
 denter subsistit, dependeat tamen ab alio in subsistendo, aut
 quod ultimò terminatum est, ut ulteriorem ab alio terminan-
 te accipiat terminū. Hoc modo incommunicabile dicitur sup-
 positum *dupliciter* I. *quatenus suppositum non habet ab alio parti-*
cipatam subsistendi rationem, quam si ab alio haberet, contradictio
 invehetur, nam terminaretur ulterius, quod ultimum tamen
 terminum adeptum est. II. *quatenus alii Supposito suam supposi-*
talitatem communicare nequit; supposito inquam, quæ suppo-
 sito, & in sensu reduplicativò accepto, neq; amittenti suam
 suppositalitatem. Vid. CL. Dn. Licentiatum Frommii Disput.
 Met. XXVI. th. X. §. 4. p. 404. Incommunicabilitas suppositi non
 solam negationem dicit, sed infert simul aliquem modum posi-
 tivum

stivum. Hoc autem positivum non potest commodius expli-
 cari quàm per *ἀνσυναεξία*, quæ ob imbecillitatem cognitio-
 nis nostræ vix potest aliter concipi, quàm per remotionem
 communicationis. Ob majorem evidentiam quandoque so-
 lent conjungi *incommunicabilitas* & *ἀνσυναεξία*, quæ tamen
 idem dicunt, hoc a. fine conjungi solent, ut formalis ratio sup-
 positi tùm positivè, tùm negativè explicetur, & ne statuatur, esse
tantùm duplicem negationem, quam *suppositum addit naturæ*,
 quod *Scotus* voluit, de quo statim. Tandem etiam in descri-
 ptione mentio *Modi* facta est, quæ vox non unâ ratione accipi-
 tur Hic verò non *Noematicus*, & *notionalis*, sed *pragmaticus*, &
realis intelligendus est, isq; non ut (1) *Qualitas est, aut in predicamento*
qualitatis. Neq; (2) *ut differentia contrahens est & genus*
modificat. Nec (3) *ut determinatus rei status, gradus, & condi-*
tio est. Nec (4) *prout Ens, quatenus Ens transcendentaliter de-*
nominat, & afficit, Sed (6) *quatenus est actus subsistendi ultima-*
tus, substantiam ita intrinsecè, & actu afficiens, ut sine illâ nullo
modo esse possit. Suppositum E. abstractè sumptum non est en-
 titas vera & peculiaris. Rationem reddit *Suarez disp. Met. 7.*
sect. 2. item disp. 34. s. 4. n. 38. Si enim alterum extremum tale est,
 ut per potentiam Dei absolutam non possit sine alio conservari, ma-
 gnum argumentum est, illud essentialiter esse modum quendam,
 & non veram entitatem. Nam si esset vera Entitas non posset
 habere tam intrinsecam dependentiam ab aliâ Entitate, ut non pos-
 sit Deus illam supplere infinitâ suâ potentiâ. Argumentor cum
Admod. Rev. Dn. Calov. l. c. p. 59. Si suppositum naturæ peculia-
 rem entitatem addit, aut illa spectabit ad ipsam essentiam naturæ,
 & sic necessariò materialiter præsupponetur, h. e. natura sine
 eo integrè concipi non poterit. Essentia enim in indivisibili
 consistit. At posterius absurdum E. & prius; aut illa entitas
 non pertinebit ad essentiam naturæ, & sic suppositum cum essen-
 tiâ fiet unum per accidens, quod iterum est absurdum. 2 Si sup-
 positum est peculiaris entitas, tùm essentia & suppositum diffe-
 rent ut res & res, ut natura, & natura, atque sic hæc natura,
 quæ est suppositivitas illius, ex eo, quia natura, & res peculiaris
 est, suam quoque suppositivitatem postulat, non secus ac illa ob

can-

eandem causam postulabat; de quâ iterum quæri posset, quomodo differat à naturâ, quæ prius erat suppositum alterius, an per novam Entitatem, an verò per conceptibilitatem, & formalitatem saltem. Si hoc? tùm habemus, quod volumus. Si illud, fiet progressus in infinitum; natura enim supposita subinde etiam habebit suppositalitatem, & hæc alia, donec tandem statuat, differre naturam, & suppositum, non ut rem, & rem, sed ut rem, & modum. Neque verò modus est non Ens, aut prorsus nullam habet entitatem, sed non habet distinctam essentiam ab eo, cujus est modus. Nam ratione entitatis est ipsum ens, quod modificat, nec ab eo distinguitur. Sicut e. gr. quod unitas sit affectio realis, & positiva, non sumendum ex eo, quod per eam Enti additur, nam nihil novæ entitatis Enti per affectionem superadditur, sed ex eo sumendum, quod Ens ipsum connotat, adeoque idem est, quod Ens indivisum. Ita Pater in divinis implicat ipsam essentiam divinam materialiter, & est ipsa essentia divina, formaliter verò non est divina essentia, sed modus essentia divinæ, & conceptibiliter ab ea distinguitur. Quod iterum notandum contra Photinianos, argumentantes. Deus ille unus non est persona divina. Atqui Pater est persona divina, E. Pater non est Deus ille unus. Sanè Deus in majori supponit simpliciter, in Conclusionem personaliter, in majori accipitur abstractè, in Concl. concretè, in majori absolutè, & materialiter, in Conclusionem respectivè, & formaliter. Porro quæritur: quomodo se habeat hic modus ad naturam, an ut actus extrinsecus, an ut intrinsecus? Resp. Si per intrinsecum actum intelligatur idem quod essentialiter tum modus non est actus intrinsecus, nam non pertinet ad essentiam naturæ. Si verò per intrinsecum actum intelligatur tam intrinseca & arcta dependentia ab alio, ut sine eo non possit in rerum natura permanere, tùm omninò concedimus, quod sit actus intrinsecus. Alii dicunt, si per intrinsecum actum intelligatur complementum nature debitum, per quod substantia compleatur, & perficiatur intrinsecè in ratione existendi completè, tùm non posse negari, suppositum esse actum intrinsecum; itemque si per intrinsecum intelligatur prærequisitum ad operationes, quodq; se antecedenter habet ex parte agentis, ibi suppositum esse actum intrinsecè

secè complementem & perficientem naturam. Nulla enim res naturaliter existentiam habet, quæ non habeat quoque subsistentiam (vel propriam, vel alienam) Natura quidem potest esse ἐν ὑπόστασι (ὅτι καὶ ἀλλοσύσα] Ⓞ, non verò αὐτοῦσα] Ⓞ. Nec sufficit existentia. Nam existentia, sive actualis essentia sita est in subsistentia, quæ vel propria est, vel aliena. Quicquid alterius suppositalitate subsistit, illud per eam operatur, & supposito (concretè) actio tribuenda. Postremò notandum quod nec abstractivè, nec concretivè sumpta subsistentia, sit idem quod substantia incommunicabilis. Abstractivè enim sumpta est tantùm modus. At verò modus non est ipsum, cuius est modus: concretivè quoque sumpta non identificatur cum substantiâ incommunicabili. Si enim incommunicabilitas sumatur ratione plurium inferiorum naturarum subjectarum, tùm quælibet substantia singularis est incommunicabilis. Subsistentia verò significat substantiam ultimò completam. Si verò incommunicabilitas sumatur ratione plurium suppositorum ejusdem nature, ne sic quidem idem dicunt. Datur enim substantia incommunicabilis singularis, quæ tamen non est suppositum, ut humana natura in Christo. Vid. Kesler. sect. 1. part. Spec. Met. princ. IX.

§. 3. Cum verò supra dictum sit, quòd negatio nature addita nequeat suppositum absolvere, ideò nostri muneris erit brevibus hanc quæstionem assumere. 1. Κατὰ σκοπὸν αὐτῆς procedemus, & quod ratio formalis suppositi in positivo consistat, h. m. probamus: Quicquid est causa, quo minus intelligatur, quid sit persona divina, illud non est formalis ratio persone divine, & causa quoq; est, quò minus persona creata intelligi, & concipi possint. A. Negatio dependentiæ est causa quo minus intelligatur quid sit persona divina. E. Majoris primum membrum probo exinde, quia formalis ratio nihil aliud est, quàm ratio illa à quâ aliquid à priori denominatur, & cognoscitur. Alterum membrum probo ex eo, quia 1. persona creata est quedam participatio increate. 2. Probo à majori ad minus, hoc modo: Si divina natura est essentialiter subsistens in se, & per se, & tamen ei non repugnat ad esse personam positivum quid adjungi, multò minus nature create positivum quid adjun-

adjun-

adjungi repugnabit, nam hæc natura non est essentialiter subsi-
stens, ut patet exemplo Christi, qui naturam humanam sine
propria subsistentia assumpsit. Minor patet, quia sic tres per-
sonæ, in divinis tribus negationibus constituerentur, quod ab-
surdum esse, etiam ipse Scotus pronunciat. Ad probationem
majoris excipit non nemo magni nominis Philosophus; non sequi:
quia persona creata est participatio increata. E. & illa erit posi-
tiva, sicut hæc. Rationem addit, quia illa participatio solum est
in ratione formali non item in materiali, aliàs, inquit, pari ratio-
ne concluderem: E. creata est etiam relativa, ut increata.
 Resp. Satis est, si convenient in ratione formali creata, & in-
 creata persona, sic enim convenient quoque vel in positivo ad-
 dito, vel in negatione dependentia, ut enim hæc secundum Sco-
 tum est suppositi formalis ratio: ita illud secundum nos. Quo-
 cunque ergò se vertat, aut mihi negabit, in formali suppositi con-
 venire creatam, & increatam subsistentiam, aut concedet, &
 hanc, & istam in negatione duplicis dependentia, tanquam forma-
 li, convenire. Neutrum pro ipso est, cum quantum ad pri-
 mum, expressè dixerit, convenire in formali ratione creatam, &
 increatam subsistentiam. Ad alterum verò manifestè insinuet,
 quod creata in negatione dependentia consistat, increata positivum
 quid agnoscat. Annon hoc est sibi ipsi contradicere? an illud
 est convenire in formali ratione, quando alterius formale in ne-
 gatione, alterius in positivo constituitur? Siccine idem simul
 esse & non esse; convenire, & non convenire poterit? Ex-
 emplum appositum nihil ad rem facit, quia in hac quidem ra-
 tione non conveniunt, benè tamen in communi definitione
 suppositi, quæ, quia eadem est in utraque, quis creatam perso-
 nam de increata participare negabit? Sed respondeat pro
 nobis *Ergone*: nihil ob stare imitationi, & participationi, quòd
 creata persona sit absoluta, increata relativa, plurimum autem, si
 una sit negativa, altera positiva, nam negationem ut non Ens, non
 posse imitari naturam Entis. Ad hoc regerit citatus Autor. Et-
 iam negationem imitari naturam Entis 1. enim in eo imitari, dum
 est fundamentum veritatis propositionis 2. dum negationes infi-
 nitæ à subjecto speciem disparatam remonent. Resp. Ergone ea-
 dem

dem definitio Enti, & non Enti conveniet? hoc enim, & nihil aliud per imitari Fonsca intelligit. Ex abundantia tamen responderi potest ad *primum* quod negatio quidem sit fundamentum veritatis propositionis, sed non *per se*, verum *propter aliud, & per accidens*. Ad *secundum* dico: Hoc non esse imitari naturam entis, quando negatio infinita *removet à subjecto speciem disparatam, sed si immediatè aliquid poneret*; quod ipsi adhuc probandum relinquimus. Possemus hanc ratione etiam entibus fictis locum inter Entia realia dare, & quod illa etiam de ente reali participant, affirmare, quia *disparatam quidem speciem removeant, sed nihil certi ponunt*. 3. quærit, *annon negatio divisionis, quam dicit unum, in eo naturam Entis positivi imitetur, qui, & est vera Entis affectio, & essentiam entis conservat?* Resp. Ita sui immemor non animadvertit, quod etiam secundum ipsum pari passu non ambulent *negatio dependentiæ, & Indivisio*, nam hæc secundum ipsum, fundatur in aliquo positivo, & sic facile imitari potest naturam Entis positivi, quod de negatione dependentiæ nunquam concedendum putat, ut postea circa argumentum VII. videbimus. Ad *secundam probationem* c. Autor excipit: *Illam subsistentiam, quæ divinam naturam essentialiter subsistentem facit, adeò non sufficere ad esse suppositum, ut potius contrarium dicat, nimirum quod non sit suppositum, ex ea ratione, quia est communicabilis, communicabilitas enim supposito repugnat*. Sed quid inde? Noverat id sanè Suarez, & ideo per positivum additum naturam divinam demum fieri suppositum, sæpius confirmat. Videtur E. statum controversiæ ignorare. Comparationem namq; instituit Suarez inter creatam, & increatam naturam, & hanc dicit essentialiter subsistere in se, & per se, ita quidem ut alterius subsistentiæ non innitatur, nec terminari aliena suppositivitate possit; quod secus est increata natura, quæ sine propria subsistentia assumi potest, quod patet exemplo Christi. Si E. illa natura, quæ adeò perfecta est, ut subsistentiam alienam ferre nequeat, positivi alicujus capax est, multò magis & hæc erit, ut postea videbimus circa argum. VIII. Quod verò in hac positivum illud à natura realiter distinguatur, propter imperfectionem creaturæ est, quæ additamenti, & compositionis facile capax est,

est, quam increata natura respuit, ideoque non nisi conceptibili-
liter ab eâ persona distinguitur. Deinde certum est, quod
natura creata hoc modo, quo divina, essentialiter non subsistat,
nam hæc per differentiam individualem non contrahitur de-
mum ad speciem, ut illa, estque individua antequam ipsi per-
sonalitas superveniat; ast illa non est individua per se, suumque
esse, sed omnino opus habet, ut contrahatur, & limitetur per
differentiam individualem. Quod verò addit: *naturam hu-
manam in Christo sine propria subsistentia haud assumptam esse*,
nemo nostrum non concedit, si subsistentia generaliter suma-
tur, quatenus est *formalis ratio substantiæ*, sed hoc non est con-
tra *Suarezium* disputare, qui adduci non potuit, ut illud nega-
ret. Quam ille *subsistentiæ incommunicabilitatem* vocat, nos
nudè *subsistentiam* appellamus (*specialiter subsistentia voce
accepta*) Tandem ad Syllogismum nostrum propius accedit,
qui talis erat: Si in divinis persona addit aliquid positivum, et
iam in creatis addet. Negat in illo consequentiam i. *quia
divina persona non neget solum communicabilitatem actualem, aut
aptitudinalem, sed etiam potentialem hoc est: dicat repugnantiam
ad communicari, omne autem* (inquit) *suppositum creatum tale
est, cui non repugnat communicari, vel dependere, saltem respectu
potentiæ divinæ.* Sed i. negamus, quod *persona quæ talis, & in
sensu composito, non dicat repugnantiam ad communicari, supra
enim Theor. VI. §. 2. diximus, quod nihil ipsi magis repugnet, quam
communicari ut Quod, alteri persona, seu supposito.* Quod enim
ultimò terminatum est, quomodo ulteriorem terminum ab
alio terminante accipiet? annon hoc est contradictorium?
Sed posito, quod *persona creata non repugnet communicari re-
spectu extrinseco ad potentiam divinam* (quam tamen circa con-
tradictoria non operari novimus,) hoc potius pro nobis face-
ret statuentibus: *Sicut formalis ratio in divinis est positivum
quid: ita etiam in creatis esse, & sicut illa ratio positiva in creatis
impediri & auferri potest, à superiori extrinseco: ita etiam in di-
vinis posse, si saltem superiorem per impossibile Deus agnosceret.*
Hinc E. deprehendimus, quare *divinæ personæ communicari
repugnet, quia nempe superiorem, qui positivum illud auferre,*

&

& impedire posset, non agnoscit, ideoque non ex *positivo* simpliciter id provenire, sed ex *positivo* impediri nescio. *Intrinsecè* sanè omni *supposito* communicari repugnat, non *extrinsecè* propter potentiam obedientialem, quæ in Deum non cadit. *Secundò* quærimus, unde hoc habeat *persona divina*, ut, communicari nequeat, an ex *positivo* simpliciter, an verò ex *relativa oppositione*? Hoc sane affirmet necessum est. At idem etiam in personis creatis obtinet. Hinc nec per potentiam Dei fieri potest, ut qui mihi est Pater, sit etiam hac ratione filius meus, & *contrà*. Videmus E. *consequentiam* negari non posse. Sed pergit negare *consequentiam* exinde: quia *personalitates divinæ positivæ* esse debent propter *distinctionem personarum in unâ, infinita, & indivisa essentia*; at hoc in creatis opus non esse, ibi namq; *naturæ ipsæ singulares, quæ tales, ex se, & per se realiter distinguuntur*. Dicit: *Naturæ singulares ex se, & per se realiter distinguuntur?* quæro, quomodo hoc intellectum velit: aut enim distinguuntur, prout essentialiter insunt certis individuis, & *suppositis*, aut ut sunt *contradistinctæ* iis? Si hoc, tum separatim existere debent, quod absurdum. Si illud: E. non ex se & per se, sed per certa individua, & in iis realiter ab aliis distinguuntur. Quæro 2. an homo per naturam humanam, an verò natura humana per hominem, sive in homine existens, ab equinâ natura differat. Utrumque sanè affirmandum, nec temerè ad fallaciam divisionis descendendum. Tertiò ait: *Etiam posito antecedente, consequentiam hanc non valere*: In creatis non est natura per se, & essentialiter subsistens. E. multò magis ei addi aliquid positivum potest, quo subsistat. Quia 1. à posse ad esse N.V.C, 2. posse quidem, inquit, si aliqua esset necessitas multiplicandi entia quam tamen non esse docuimus, & porrò docebimus. Aliàs eâdem ratione concludi posset: *Ens non est essentialiter simplex E. poterit ei addi positivum aliquod, quò realiter simplex sit*. Veritate scilicet convictus, multa nobis largitur: Ad exemplum appositum, cum reliqua facile in fumum abeant Resp. non absurdum esse statuere, quòd Enti, ut simplex fiat, positivum aliquod addi debeat, sed non statim sequitur, quòd positivum illud sit ab Ente realiter distinctum, cum formalis distinctio sufficiat

ficiat. Positivum enim illud, non est peculiaris, & nova en-
 titas, sed quicquid positivitatis realis habet, ab Ente mutuatur,
 & non nisi conceptibiliter ab eo differt, nam non statim nomi-
 nato Ente, simplex concipio, differunt scilicet ut confusum, &
 expressum, sicut etiam aliàs dicimus, *quod Ens contrahatur sine*
additione, solum per determinatiores conceptus. Nec sanè sim-
 plicitas affectio entis esse posset, si solam, & puram negationem
 diceret: *nam negatio non potest esse affectio Entis realis & positi-*
vi. Ne dicam, quòd per simplicitatem in genere Entis perfe-
 ctio insinuetur, quis autem assereret, perfectionem esse puram
 negationem, tametsi quandoque per modum negationis expli-
 cetur, & significetur? Pergimus II. argumentari pro po-
 sitivo: Quod non potest esse terminus realis unionis, per il-
 lud expediri & intelligi nequit assumptio naturæ humanæ in
 Christo. Atqui Negatio non potest esse terminus realis unio-
 nis E. *Ad minorem respondent disting.* inter negationem solam,
 & negationem naturæ additam. Negationem solam non pos-
 se esse terminum realis unionis, ultrò concedunt. Sed quan-
 tum roboris huic distinctioni insit, & quid ad terminandum
 præstet natura, videbimus statim. *Deinde:* Si suppositum
 creatum potest divinâ virtute terminare alienam naturam,
 unio istarum naturarum vel ad negationem, vel ad positivum
 quid terminabitur. *Non primum:* quia negatio sibi relicta
 non potest esse formalis terminus realis unionis, & natura ad ne-
 gationem assumi nequit. *Si secundum,* utique terminabitur unio
 illa ad personalitatem, alioquin non esset personalis E. *adhuc per-*
sonalitas creata positivum aliquod addit. Primum argumentum
c. Autor intactum relinquit, & ultrò concedere videtur, quod ne-
 gatio non possit esse formalis terminus realis unionis, quodq; natu-
 ra ad negationem assumi nequeat. *Ad alterum* respondet: quod
 probabilius sit, unionem eo in casu terminari ad modum positivum,
 de novo per potentiam Dei productum. Dicimus nos: si in hoc
 casu unio ad negationem terminari nequit, nec unio naturalis
 ad negationem terminabitur. Nam utrinque persona consti-
 tui debet, & terminus ad quem in utroque exemplo est supposi-

D

tum.

rum. Ratio E. dari non potest, quare in hoc supposito consti-
 tuendo unio ad negationem, in illo ad positivum terminari debe-
 at. Quæ ex Scoto adducit, parum videntur cohærere. Unio-
 nem enim terminari ad suppositum concretè sumptum, non verò ad
 suppositalitatē, & tamen suppositalitatē, esse unionis ad certum
 statum determinativum, quid, nisi contradictionem importat?
Argumentor: Quicquid est unionis determinativum, ad illud
 etiam terminatur unio. Atqui suppositalitas (secundum Sco-
 tum) est unionis determinativa. E. ad illam terminatur unio.
 Major ex terminis constat, nec probatione indiget, nisi fortè
 quis concedere nollet, effectum ad causam, passionem ad actio-
 nem terminari. Cum verò dicitur, suppositalitatē esse rationem
 terminandi ut Quò, non ægrè illud ferimus; quia enim est me-
 dium terminandi, idcirco natura non facit ad terminationem.
 Suppositum concretè sumptum ex suppositalitate habet, quic-
 quid ad terminationem confert, sicut paries non facit ad visio-
 nem (substantia enim per se non incurrit in sensus) sed color in
 pariete, sive paries coloratus. Hinc III. argument. Si unio ter-
 minatur ad positivum, quod etiam contradicentes ex parte con-
 cedunt, tum illud positivum aut est in humana Christi natura,
 aut non est. Si est, tum natura humana habebit subsistentiam
 creatam & propriam, & unio Hypostatica ad communem hypo-
 stasim non est facta. Utrumq; absurdum & impium esse, quivis
 cordatus animadvertit. Si non est, eo ipso videmus, humanitati
 Christi aliquam positivam rationem deesse, quæ demum intro-
 ducit personam. Quæ hinc afferre solent, solutionem non me-
 rentur. Dicunt enim, positivam rationem esse etiam in humana
 Christi natura, sed illam non facere & absolvere personam. Acci-
 piunt scilicet positivum pro ipsa essentiâ naturæ humanæ, & fal-
 laciam homonymiæ committunt. Deinde ajunt: unionem hy-
 postaticam fieri quoq; ad subsistentiam, quod & nos concedimus,
 si subsistentia generaliter sumatur. Neque nos aliter senti-
 mus: quàm humanam naturam terminari subsistentia λόγος: Si
 verò per potentiam Dei dimitteretur, & alienam naturam termi-
 naret, tum unionem fieri ad subsistentiam suppositalem terminan-
 tis, h. e. tum natura illa suppositaret & terminaret aliam naturam,
 que

que jam suppositatur, & terminatur. Sed per hæc argumentum non solvitur. *Argumentamur IV.* Quicquid est causa, ut unio naturarum in Christo intelligi nequeat, ab eo abstinendum, & pro illo aliud substituendum est. Atqui negatio dependentiæ est causa, ut unio naturarum in Christo intelligi nequeat. E. Minorem probo: Quando Concilia & Patres inculcant, ac contra Nestorium ingeminant: *Verbum assumpsisse humanitatem, non hominem,* talis secundum Scotistas inde emergeret sensus: *Verbum assumendo humanitatem impedivit, & abstulit negationem unionis, sive Verbum non assumpsit negationem unionis;* ita cum dicunt: *Verbum non assumpsit hominem, s. personam humanam,* quid aliud dixissent, quam *Verbum non assumpsisse naturam, que manserit sine unione, sive humanitatem unitam Verbo non mansisse deunitam, & sine unione, vel: Verbum non unitum esse cum negatione unionis?* quæ sanè explicationes ridiculæ sunt. Quòd si positivum aliquod admitteremus, melius & intelligi, & explicari possent hæc locutiones. *Verbum enim assumpsit humanitatem,*, h. e. non assumpsit positivum illud humanitatis, quod constituit personam, *item λόγος non assumpsit personam,* i. e. humanitatem cum positivo humanitatis. Agnoscunt id multi ex Scoti complicibus, & quando premuntur exemplo *animæ, que non assumatur in statu separationis existens,* tum hanc propositionem: *Anima separata non unitur,* solito more haud explicant, ut dicant: *animam non uniri cum negatione unionis, & manentem separatam,* quis enim hæc cogitet? ajunt: *quis non rideat?* Dicunt potius: *animam non posse uniri cum illo positivo constitutivo separationis.* Quo ipso ad castra nostra ultrò confugiunt, & herbam nobis porrigunt. *V. dicimus;* quòd ex opinione Scoti sequatur, *humanitatem Christi esse tam completam substantiam omni ex parte, quam est persona Petri.* Probamus: quia substantia in genere substantiæ non completum per negationem (ut diversum sentientes contra Soncinatem argumentantur) Humanitas verò Christi nihil minus habet, quàm persona Petri, nisi quandam negationem E. non erit minus completa substantia, quàm persona Petri. Quod verò illi addita sit divina natura, exinde non fit incompleta. Res enim non

definit esse completa per additionem, sed per subtractionem. Hinc porrò sequitur, quod nulla intercedere potuerit Unio inter talem substantiam, & aliam omninò completam, quam tamen factam esse non audent negare. *Antecedens probatur*: quia ex duobus entibus in actu, & omnino completis non fit unum per se. Necesse enim est, ut sit aliquid, quod se habeat per modum *potentia & assumptibilis*, aliquid per *modum actus, & assumptis*. - VI. *argumentamur*: Quicquid addit perfectionem & complementum, non potest esse pura negatio. A. persona addit perfectionem & complementum. E. Major probatur, quia negatio non addit perfectionem, sed supponit. Ad *ma-jorem* excipiunt: *eam tantum valere de substantia prima prædicamentali, quæ non nisi ex substantiis coalescere potest*, contra *Paulum Soncinatem 4. Met. quest. 19.* Sed quemadmodum ibi ex *substantia, & negatione* non potest coalescere *substantia*; ita hîc ex *natura, & negatione* non potest emergere *suppositum*, quia sic suppositum esset Ens per accidens. *Ex negatione enim, & Ente positivo non constituitur unum per se.* Ad minorem dicunt: *Personam propriè non addere complementum, & perfectionem, sed de connotato saltem, & fundamentaliter, at sic negationem etiam perfectionem dicere posse*, ut indivisionis exemplo manifestum est. - Sed *negamus*, quod *persona non dicat formaliter complementum, & perfectionem.* Ab omnibus enim persona salutatur complementum, & perfectio naturæ. Complementum, inquam, salutatur, & quidem substantiale, quod naturæ intrinsecè debetur, per quod etiam illa intrinsecè completur & perficitur in ratione existendi completè. Existencia absq; substantia non est, ut *Theor. VI. §. 2. vidimus.* VII. *Concludimus, h. m.* Omnis negatio rei intrinseca, & ab eâdem inseparabilis fundatur in aliquo positivo. At negatio dependentiæ, quæ est *secundum Scotum*, formalis ratio suppositi, est supposito intrinseca, & ab eo inseparabilis. E. Major probatur *ex Scoto*, qui docet, *individuum addere speciei differentiam quandam positivam*, ex eo, quia illa *indivisio, quæ est de ratione rei singularis, in aliquo positivo fundatur.* Contradicentes reponunt. *Majorem valere non de omni negatione, sed de eâ tantum, quæ dicit repugnantiam ad*

sepa

separabilitatem, dicuntq; hoc exemplum de Individuo esse planè dissimile nostro. Nam negatio divisionis in plura talia, quale ipsum, Individuo planè repugnat, sed negationem dependentiæ, & assumptionis non repugnare supposito affirmant. Sed breviter dicimus: falsa eos hypothese niti, quasi negatio dependentiæ non repugnet supposito, quâ supposito, & in sensu reduplicativo, seu composito accepto, quod tamen est certissimum, ut supra docuimus. Limitationem E. majoris admittimus, & suppositum cum individuo quoad repugnantiam intrinsecam convenire, contendimus. VIII. Et ultimò argumentamur. Si suppositum creatum constitueretur per negationem, multò magis id in divinis verum esset. At posterius absurdum E. & prius. Cōnexio probatur, quia in divinis maxima est independentia, summa actualitas, & simplicitas, ad quæ exprimenda magis faciunt negationes, quàm positivum quid. Ubi locum habet ab antiquitate commendatum dictèrium. Melius cognoscitur Deus quid non sit, quàm quid sit. Ad Majorem respondent, concedendo, nisi aliunde impedimentum se offerat, maximè utique simplicitatis rationem habendam. Quæ autem illi impedimenta in divinis afferunt, ea nos in creatis quoq; residere, non diffitemur.

§. 4. Paucissimis quoque satisfaciamus argumentis à Scoto pro duplici negatione dependentiæ allatis, in quibus parum roboris esse, plerique Scotistarum fatentur. Primum est: Si suppositum constituitur per aliquod positivum. E. datur aliqua entitas in homine, quæ à Christo non est assumpta, nec assumi potuit, entitas videlicet personalis. A. Consequens absurdum E & antecedens. Minorem probant ex Damasceno, dicente: Quod non est assumptibile, non est curabile 2. quia omnis entitas positiva est in potentia obedientiali ad assumendum à persona divina. Resp. ad Min. Non solum non est absurdum, sed potius necessarium ad explicandam unionem naturarum, quòd Verbum non assumerit illam entitatem, quæ personam constituit. Hæreticum enim, & Nestorianum est asserere, Verbum assumpsisse hominem. Ad testimonium Damasceni dicimus, concedendo hoc de propria subsistentia naturæ humanæ, quippe quæ nulla fuit E. nec curari, nec attendi unquam postulavit. Nec

sequitur inde, humanam naturam quæ à Christo est assumpta, imperfectam esse, sed hoc tantum sequitur, quòd non sit perfecta quoad esse personæ. *Deinde Resp. quod Damascenus intelligendus sit de omni eo, quod intrinsecè, & formaliter constituit naturam, sive essentiam humanitatis absolvit, de quo nos etiam concedimus dictum Damasceni, & negamus tale quid à Verbo non assumptum esse.* Ad 2. *probat Resp. quod omnis entitas positiva, & peculiaris sit in potentia obedientiali ad assumendum, sed quia personalitas non est peculiaris entitas, non etiam potest esse in potentia obedientiali. Vid. supra. Theorem. VI. §. 2.* Secundum Scoti argumentum est: *Illud positivum, quod constituit personam aut est substantia, aut accidens. Non illud, quia sic humanitati Christi aliquid substantiale deesset, nec hoc, quia omne accidens est communicabile ut Quo, indeque nulli incommunicabilitatem dare potest.* Resp. Positivum illud nec esse substantiam, nec accidens, sed modum substantialem, sicut etiam unio vid. CL. Dn Ebel. disp. 26 Coll Met. publ. p. 463. *Tertium argumentum ita se habet: Si Verbum assumpsit naturam humanam sine ullo positivo, non potest utiq; illam dimittere, quin ei necessario aliquam addat entitatem, quam nunc non habet, scilicet personalitatem, vel natura sic dimissa maneret impersonata, & tamen esset in rerum natura, quod absurdum.* Resp. Omnino aliquid humanæ naturæ addendum foret, si à Verbo dimitteretur, ut posset subsistere naturaliter, quæ tamen nunquam deponetur, aut dimittetur; juxta illud: *Quod semel assumpsit, nunquam deponet.* *Quartum Scoti Argumentum hoc est: Si humana natura aliena subsistentia utitur, sequitur, quòd violenter in Verbo detineatur, quia caret positiva perfectione connaturali.* Resp. violenter esset in Verbo, nisi nobiliori modo suppositata esset, ita quidem ut propria suppositalitate facile carere posset. Tunc enim aliquid est in statu violento ex ablatione alicujus perfectionis, quando illa aliunde non suppletur, & redimitur per aliquid æqualis, vel majoris perfectionis, loco prioris erogatum. Est quidem in humanâ Christi naturâ inclinatio ad propriam personalitatem, est etiam appetitus ad illam, non tamen appetitus per modum desiderii, sed quasi fruitionis, & complacem-

placencia, quia perfectissimè satiata est personalitate divina, imò quotidie magis ab illâ, quàm à propria fieri posset, satiat- tur & expletur, illa scilicet continet omnem perfectionem natu- ralem propriae supposititalitatis eminenter, vid. Excell. Dn. Ebelium Disp. II. Coll. Met. special. p. 40.

§. 5. Edictis manifestum est, quid ad eorum senten- tiam respondendum, qui statuunt, Suppositum creatum, ne- que *positivum* quid, neque *negativum* naturæ superaddere, sed hæc duo differre solum nominibus, & ratione. Ast differre *suppositum creatum à natura realiter*, ita quidem ut ea dari pos- sit sine supposititalitate propria, supra docuimus. Ubi diximus quoque, *quod idem à seipso separari nequeat*. Nec peculiaris Entitas naturæ per supposititalitatem superadditur, quod volebant *Cajetanus, & Ferrariensis*. Habet enim se *supposituræ ad Natu- ram, sicut includens ad inclusum*. Unde suppositum conserva- ri nequit sine natura, quanquam natura conservari sine suppo- sito possit. Hinc si peculiarem entitatem haberet supposi- tum, seorsim utique, & separatim posset ostendi, de quo supra Theor. VI. §. vid. *Admod. Rev. Dn. Scharf. Theor. Transcendent. pag. 1120. seqq.*

Pergimus ad Personam.

THEOR. VII.

Persona est naturæ intelligentis in- communicabilis subsistentia *Jac. Mart. l. 2. de tribus Eloh. c. 4.*

§. 1. Persona dicitur, quasi *per se una*, quia nobilissimâ ratione *per se una, & singularis est*: perfectissima enim subsistendi ratione gaudet. Gellio l. 5. *Noct. Attic. c. 7.* à *personando* deduci- tur, eò quod in comœdiis *larvis* usi sint, quibus *clarecere, & resenare* vocem fecerunt. Unde iis *larvis* immerfi personæ dice-

dicebantur. Possent hæc derivatio quod antenus tolerari, non
 obstante, quod *sono* habeat *penultimam brevem*, *persona lon-*
gam. Sunt enim etiam alia derivata, quæ à quantitate pri-
 mitivorum degenerant. Sic *suspicio* habet antepenultimam
 longam, ut videre est apud *Martialem*, cujus illud exstat: *Obli-*
nitur, minima si qua est suspicio rime. Vid. Poeticam Giessensium l.
1 pag. 56. & p. 26. cum tamen à *suspico*, cujus penultima brevis
 est, descendat. Sic *vox vocis penultima longa*, à *voco penulti-*
ma brevi deducitur. Idem est in *Tegulâ, Laternâ &c. vid. Poet.*
Giess. pag. 24. *Homonymiam Personæ* vid. apud *Excellentiss. Dn.*
Calov. Met. Div. Spec c. 5. p. 79. seq. & B. Jac. Mart. l. 2. de trib. Elob.
c. 4. Nobis satis esto, ostendisse, quod *persona pro supposito*
intelligente, ὑφιστάμενον vosq̄ diversis *Scripturæ locis* accipiatur.
Vid. Act. 10. 34 Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephes. 6. 9. Coloss. 3. 24. 1. Pet. 1. 17.
2. Cor. 1. 11. emphatica hæc habentur verba ἵνα ἐκ πολλῶν προσώ-
 πων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαρισθῆθῃ, ut à *mul-*
tis personis in nos collatum beneficium, per multos quoque gratia-
rum actione celebretur &c. *Synonyma personæ* sunt *πρόσωπον*,
 ut jam dictum est, item *פְּנֵי אָדָם* à *פָּנֵי*, vel quod homines à fa-
 cie cognoscantur, vel quod pro numero facierum etiam fiat
 multiplicatio personarum. *Τὸ σῶμα* idem quoque, quod
Persona indigitat vid. *Thucyd. l. 6. Histor.* Apud *Epiphani.* dici-
 tur aliquis *οὐξογιντὰ σωματίων Dominus. Vid. B. Chemnit. l. de dua-*
bus naturis in Christo c. 9. In sacris & quidem *Tob. X. v. 10.* servi
 & ancillæ vocantur *σώματα. Locum, ad Col. 2. 9. ὅτι ἐν αὐτῷ κα-*
ρυκεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος & σωματικῶς, quidam ma-
 gni Theologi per *personaliter* explicant, alii ajunt, per *vocabu-*
lum σωματικῶς *subjectum* denotari, cui plenitudo *Deitatis* commu-
 nicata sit, nimirum *humanam Christi naturam*, sed conjunctim
 hæc intelligenda esse, non disjunctim, monent *recentiores Theo-*
logi. *Attributa enim divina in personâ & λόγῳ* *existenti humanæ*
naturæ communicari novimus. Dicitur etiam *ὑπόστασις*, & *ὑφισ-*
τάμενον νοερόν. *Natura intelligens* in data descriptione est sub-
 jectum, sive *materiale personæ*, quæ includit *substantiam sin-*
gularem, & completam. De quibus supra abunde dictum est.

τὸ

τὸ intelligens non est formale personæ, dantur enim substantiæ
 singulares intelligentes, quæ non sunt personæ v. gr. *anima ra-*
tionalis, & humana Christi natura. Objicit Goslavius: *For-*
malem rationem personæ in eo propriè consistere, quod personam
 discernit à supposito. At hoc esse intellectum E. Resp. ad Maj.
 Non illico formam esse, quo aliquid ab alio discernitur, cum
 etiam per accidentia, & proprietates hoc expediri possit. Ne-
 que verò differentia semper à forma desumitur, sed sæpè à cau-
 sis externis, sæpè à materia, sive subjecto. Et hoc modo per-
 sonam à supposito distingui, asserimus. Sic fragor in nube, à
 fragore in sylvâ subjecto tantùm differt. 2. *Argumentamur:*
 Quæcunque unam formalem rationem habent, ea non distin-
 guuntur formaliter. Atqui suppositum & persona unam ra-
 tionem formalem habent. E. *Minorem* probo exinde, quia
 quæcunque repugnant supposito quoad formalem rationem,
 ea quoque personæ repugnant, puta communicari alteri. Vid.
supra Theor. VI. Contra illud, quod diximus, personam à sup-
 posito subjecto tantùm distingui, ita infargit Goslavius: Intel-
 lectus, quo suppositum à persona discriminatur, vim & naturam
 subjecti sustinere nequit, nam persona, & suppositum de intellectu
 non prædicantur, sed intellectus de persona, & supposito. Resp.
 Subjectum verum, & reale, non statim, & ubique in prædica-
 tionibus subicitur ei, cujus est subjectum, contrarium potius
 obtinet in concretorum descriptionibus, ubi subjecta Physica
 prædicatorum locum sustinent, sic dico: *Pater est homo ha-*
bens Filium, licet E. ibi homo sit subjectum paternitatis, prædicatur
 tamen de Patre, sic in illo *Aristotelis: Nomen est Vox, signifi-*
cans ex instituto &c. τὸ Vox, quamvis sit materiale nominis,
 nihilominus prædicati vicem gerit. vid. *CL Dn. Scharf. Theor.*
transc. part. Spec. Disp. 4. Quest. III. Deinde falsissimum est, In-
 tellectum de Persona, & Supposito prædicari, cùm prædicetur
 tantùm natura intelligens de iis. Hoc modo constitutâ, &
 propugnata nostra, aliorum quoque descriptiones examinabi-
 mus. A *Boëtio* Persona definitur, quòd sit *rationalis naturæ in-*
dividua substantia, sed hæc descriptio non est proba, competit

E

enim

enim non tantum *essentia divina*, sed etiam *humane nature in Christo*, quæ tamen persona non est Persona in concreto melius fortè hac ratione describetur, quod sit *Suppositum intelligēs*. Crel-
lii, & Goslavii descriptiones exenterare nolumus, sublevavit
nos eo onere *Excellentiss. & CL. Dn. Calov. Met. Div. spec. c. V pag.*
85. & p. 100.

§. 2. *Formalis ratio personæ est incommunicabilitas sub-*
sistendi, sive ἀσυντηρησία, nam hæc, & nihil aliud est, quæ *sub-*
stantia intellectuali addita, eam in esse personæ constituit, sine
hac etiamsi completa sit singularis substantia intelligens, nondum
tamen est persona, ut patet in divina essentia. *Incommunicabi-*
litas, quæ hujus loci est, negat maximè communicationem
cum alio supposito, vel persona, à qua ulteriorem terminum
accipiat. *Canon iste: Quorum essentia est communicabilis*
pluribus suppositis, illa ipsa etiam sunt communicabilia pluribus sup-
positis, usque quaque verus non est, limitatur hoc modo. *Quo-*
rum essentia communicabilis est, & ratione rei, & ratione modi
subsistendi, illa etiam sunt communicabilia pluribus suppositis. Po-
sterius de personis divinis affirmari nequit, Ergò illæ sunt incom-
municabiles. Ratio autem cur essentia communicabilis sit, per-
sona non item, hæc est, quia essentia, etiam singularis per se non
infert incommunicabilitatem, at persona eandem formaliter im-
portat.

THEOR. VIII.

Persona vel est *σύντηρητος*, vel *ἀσύντηρητος*. A-
lia item increata, alia creata.

§. 1. Persona *ἀσύντηρητος* est, quæ *ἀσυντηρησίαν* suam sibi
soli retinet, & extra unionem cum alia natura subsistit. Persona
σύντηρητος est, quæ in *ἀσυντηρησίαν* suam aliam quoq; naturam ad-
mittit, ut quando unitur ignis cum ferro, sal cum aqua. Per-
sona increata est *nature intelligentis, & infinite incommunicabi-*
lis

lis subsistentia. Creata est natura intelligentis, & finita εὐνομαξία. Hic una, & eadem essentia pluribus personis communis esse nequit propter finitudinem. Ibi contrarium potius obtinet, propter infinitatem, ideoque *essentia divina communis est per indivisionem, & identitatem tribus personis.* Quamvis ergò incommunicabilitate subsistendi conveniant *creata, & increata* persona, quin & in descriptione vulgata personæ coalescant; hujus tamen personæ incommunicabilitas est longè eminentior, quam illius, ut perperam concludatur à *creata persona ad naturam propriam habitudine, ad increata.* In illa enim natura cum personalitate reverà facit compositionem, non verò in hac, quippe quæ non capax est compositionis, & additamenti realis. Negatur quidem omnimoda *persona creata, & increata convenientia, non verò communis descriptio, quæ in utraque eadem est.* Minutissima quæque in descriptionibus non possunt afferri, nec descriptiones variari per hæc solent. Sequuntur

Porismata.

I. *Effectus formalis subsistentia non est reddere rem ita per se existentem, ut non sit in alio, tanquam composito, quod constituit.* Nam 1. *Angelus* hac ratione non haberet subsistentiam, cum non indigeat aliquo, per quod reddatur ita per se existens, ut non possit esse in alio tanquam in composito. Neque enim vel ex natura sua *Angelus* constituere potest compositum, vel ad hoc aptitudinem ullam habet. 2. Neque *Deus* hac ratione haberet subsistentiam. 3. Singulæ partes homogeneæ e. gr. aquæ in Oceano suam habent subsistentiam, & tamen aliis partibus uniuntur, & sunt in composito. *E. effectus subsistentia non est reddere rem incommunicabilem alteri, tanquam composito.*

II. *Effectus formalis subsistentia est, ut sit ultimus terminus, & complementum nature.* Idque 1. probatur ex mysterio

SS. Trinitatis, ubi tres illæ subsistentiæ ideo reperiuntur, ut ultimo terminent, & compleant naturam divinam. E. & in creatis idem præstat subsistentia. Inquis: si eadem est ratio, idemque effectus subsistentiæ increatæ, & creatæ, etiam in creatis subsistentia unà cum substantia operari debet, quod facit subsistentia in divinis. Resp. Neg. consequentiam. Ratio enim cur in divinis subsistentia sit comprincipium operationis, in Patre, Filio, & Spiritu S. est, quia principium producens debet saltem inadæquatè, & conceptibiliter distingui à termino producto, & mittens, sive legans à misso, & Legato. Cum verò in individuis creatis naturæ distinguantur realiter, non opus est, ut subsistentia sit comprincipium, partialiter influens ad actiones earum. In divinis nulla est distinctio, ubi non est relativa per productionem, & legationem oppositio.

III. Actiones, & passiones sunt suppositivæ. Sic cum humana natura, quæ in personâ τὸ λόγῳ subsistit mortua est, totum suppositum mortuum quidem dicendum est, non tamen secundum totum. Prius patet, quia quod parti convenit, rectè tribuitur toti, secundum illam partem. Posterius quoque liquet, quia quod secundum unam partem toti convenit, non ideo de omnibus partibus enunciatur. Sic anima intelligit, & secundum animam homo, at non ideo quoque corpus intelligit. Nihil ergò Smalcii Canon obtinet: *Moriente natura, moritur persona*: hoc est, totum suppositum, & totum suppositi. Nam licet (quoad prius) in supposito αὐτῶν ita sit, ut natura per mortem destructa, suppositum desinat esse suppositum. In αὐτῶν tamen contrarium obtinet. Destructâ enim ea natura, quæ subsistentiæ alienæ innitebatur, destructio illa quidem ad totum suppositum pertinet, at non absolutè, & simpliciter, sed secundum quid. Nam suppositum desinit quidem αὐτῶν, & compositum esse, non suppositum. Posterius liquet exemplo animæ, quæ non moritur, licet suppositum dicatur mori, secundum eam quoque non moritur suppositum. Argumentum Smalcii in forma tale est: *Qui non est, sed mortuus est, non potest seipsum resuscitare*. Atqui persona Christi non fuit post

2207

mortem (quia mortua est) *E. Resp. Major* universaliter intellecta vera non est, hac *E.* limitatione mitiganda venit: *Qui mortuus est secundum se totum, ille non potest agere aliquid secundum se totum.* Qui verò mortuus est secundum unam partem, ut superstes sit secundum aliam, potest omnino aliquid agere. Atque sic Christus non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum humanam, quæ alterâ sui parte superstes erat, se ipsum resuscitavit. Hinc rectè quidem dico: *Deus est mortuus*, quia persona divina mortua est, persona verò divina mortua est, quia actiones, & passiones sunt totius suppositi. At inde non sequitur: *E.* non potuit se resuscitare, quia persona *divina* quidem mortua est, sed non secundum utramque naturam, superfuit enim *divina natura*, superfuit etiam altera pars *humane*, quæ divinis virtutibus donata poterat resuscitare corpus. Hinc unionem hypostaticam etiam in ipsa mortis hora non solutam esse, videmus. Confer *Kesler. Met. Phot. part. spec. sect. 2 princip. 11. & 12.*

IV. Anima separata non est suppositum. Nam per hoc, quod separatur, non illicò evadit completa in subsistendo, sed manet naturâ suâ, & intrinsecè communicabilis. Coeteroquin naturam suam mutaret. Quis autem diceret, animam, cum corpori redonabitur, denuò suam personalitatem amissuram, quam cum sequestratur à corpore, acceperit? vid *Suarez disp. Met. 34. s. V.* Argumentamur: Quicquid dependentiam habet ad aliud, ut alterius pars sit, id persona non est. *A.* Anima habet dependentiam ad aliud, ut illius pars sit. *E.* Fallit sanè vulgatus *Canon*: *Partes substantiarum naturales à se invicem disjunctæ, supposita sunt.* De quo *Suarez l. c. n. 58.* Quod si quis partem separatam suppositum incompletum, & animam semipersonam dicere velit, ex usu vocis hoc pendere dicendum est; imò in rigore falsum esse. Nam cum dicitur suppositum incompletum, involvitur repugnantia in ipsis terminis, secundum propriam significationem eorum. *Suppositum enim non significat, nisi substantiam completam, ut CL. Dn. Calovius Thomam loquentem introducit. Met. div. part. spec. c. V por. 18.* 2. Arg. Quicquid perfectam speciem non constituit, non potest esse suppositum. *A.* anima separata

ta speciem perfectam non constituit. E. Major est satis perspicua, & definitio substantiæ completæ. Minorem probo 1. ex contrario, quia potius est imperfecta ratione speciei, & speciem illam, ad quam ordinata est, constituere nequit. 2. Quia cupit uniri cum corpore. Ea namq; est natura imperfecti, ut naturaliter feratur ad suam perfectionem. Sed hoc non ita accipiendum, quasi anima cupiat uniri cum corpore, ut essentialem perfectionem ex hac unione nanciscatur, minimè; sed tantum propter bonum compositi amat uniri, & unio illa ipsius finis ac perfectio est. Quatenus verò in statu separationis independenter subsistit, nec ab alio sustentatur, reduci quidem ad personam potest, sed talis reverà non est, quia non est in statu perfectæ intrinseco sed privativè violento. Animæ quidem beatorum dicuntur perfectæ, sed in statu extrinseco, non intrinseco.

V. Persona, & suppositum non sunt species substantiæ completæ, quia 1. non differunt realiter. Omnes verò species *ἀντιδιαφορώς* oppositæ realiter distingui postulant. Quia 2. si persona esset species substantiæ, Deo non posset convenire; Deo enim neq; genus, neque species tribuitur. 3. Quia substantia non prædicatur de supposito, & personâ per modum generis, ut supra notavimus. Quando E. substantia prima dispescitur in Personam, & suppositum, est ea divisio subjecti, sive rei in suos modos. Nullus autem modus essentiam, cuius est modus, agnoscit pro genere, aut species ejus est, sed illud ut subjectum, non quidem inhesionis, sed modificationis, præsupponit.

TANTUM.





Ad Præstantissimum

Dn. Respondentem, Dispu-
tationis Auctorem, Candidatum Phi-
losophiæ dignissimum, Commensalem & Ami-
cum suum per dilectum.

*Qualiter æstivo factus sylvasq; peragrant
Tempore apes, floresq; metunt, & flumina li-
bant,*

*Mellaq; disposito fundamine dulcia stipant:
Sic ala ingenii terram coelumq; profundum
Pervolitare tibi, DVNTE doctissime, mens
est,*

*Latius abstrusas rerum & deducere causas,
E doctisq; virum monumentis carpere flores.
Quid? modo perdulci destillant melle labella.
Perge ita, nec dubito, certo quin tempore fructus
Felices edas, bene fortunante JEHOVA.*

M. Christianus Trentschius,
Log. & Metaph. PP.

Ad

Ad Ingeniosissimum
Dn. Autorem Respon-
dentem.

Noscere res alias, nec seipsum noscere, laudem
Vix habet; inde tibi laudis acervus erit,
Quaudo facis de Persona resonare cathedram,
Inq; te ves auras dissona verba fugas.
Non sinet hunc gratis Phoebus sumtum esse labo-
rem,
Premia sed tanto digna labore feret!

Ominabundus scribebam civis, convictor
Et amicus æviternus

M. Eberhardus Müller.



Coll. diss. A. 123, num. 16